N. V.

N° 70

Dnō Constantino Hugenio S. P. D.
Anna Maria à Schurman

Cum primum postremas tuas, Vir Illustris,
post longum itineris tui Gallicani interval=
=lum, una cum libro gratissimo, quo ſolitā
tuam erga me munificentiā renovare non
dubitas, avidis oculis perlustrassem; illicò
calamum arripui, quo et meo responſo,
et huic munusculo nova quadam celeritate
gratiam aliquam conciliarem; juxta obviū
illud axioma, Bis dat qui cito dat. Verum=
=enimvero dum jam modo exaratę epistolę
hanc tabellam, diecutare, et putabam opus,
adjungere ſatago, neſcio quę non agmina
morarū, ita ſe jugiter opposuere instituto
meo, ut non ſolum omnem inopinati adven=
=tus jucunditatem et gratiam utriq eripuerint
ſed, niſi lata tua intercedat humanitas,
facile me neglecti officii, atq ingratitudinis
ream citare queas. Gratias autem tibi habeo
maximas; Gratulorq tibi, tuisq omnibus, ſero
quidem verbis, animo vero inter primos, fe=
=licem atq illustrem, tanquā Astri ſalutaris
in nostro Orbe, reditum; Deumq Opt: Max:
veneror ut Te diu Ecclesię, Patrię, Reip. Litterar.
et tuorū omniū ingenti bono ſervet incolumem;
ſeroq lux tua hic occidat, ſimulq oriatur in Cœlo
cœlorū. Vale, Virorū humanissime x. Kal. Jul. CIↃ.IↃ.C.LXVI

uitgeg. Worp
Huygens Briefw.
VI p. 193

© Koninklijke Bibliotheek
133 B 8, nr. 70
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/6566